

postulaverit professionem de' Filii adæquata similitudine cum Patre; quo facto ostendit amplius a se quidpiam admitti, et a *Semiarianis* postulari, si ὄμοιόσιον in sensu sequiori ab illis acciperetur.

Ad Conf. N. parit. Discrimen patet ex modo dictis, et ex fide mala *Arianorum* ac opposita fide bona *Liberii*.

323. *Nec dicas 4º.* ATHANASIUS, HILARIUS, HIERONYMUS, SOZOMENUS, AUXILIUS et PETRUS DAMIANI, num. 316, laudati, discrete enuntiant *Liberium* subscrispsisse aut consensisse hæresi *Arianæ*; unde tertio denuntiatum *Liberio* anathema ab *Hilario* legitur; ergo.

R. D. A. Scriptores hi falso rumore decepti enuntiant etc. C. vere edocti subd. enuntiant *Liberium* formaliter et expresse subscrispsisse aut consensisse hæresi *Arianæ* N. interpretative aut secundum hominum aestimationem C. Quia enim *Liberium* damus defecisse in fortitudine et œconomia circa triplex illud factum, concedimus etiam sensum Scriptorum illorum postremum; priorem autem negamus ex rationibus jam datis. Quod anathema in *Liberium* ab *Hilario* pronuntiatum attinet: (siquidem hec nota ex margine non irrepserit aut ab alio quodam Fragmentis fuerit insertum, ut sere omnes conjiciunt) eo statim tempore adnotatum ab *Hilario* videtur, quo, captato ex *Liberii* subscriptione mendacio, *Eudoxius* ceterique *Anomæi* rumorem falsum sparserunt, Pontificem damnasse ὄμοιόσιον; id quod, reverso licet ad Urbem ac pristinam constantiam *Liberio*, relictum ab *Hilario*, scriptoribus aliis ac laboribus distracto, postea a Fragmentorum collectore Nicol. Fabro est editum.

324. *Nec dicas 5º.* In ipsa Sirmensi formula prima plures habentur errores; nam anathematismo 3. (apud *Hilar.* de Synod. n. 38.) sic dicitur: *Si quis unum dicens Deum, Christum autem Deum ante secula filium Dei obsecutum Patri in creatione omnium, non confiteatur: anathema sit: et 27. Si quis Christum Deum filium Dei ante secula subsistentem et ministrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat... anathema sit:* apertius adhuc 17. anathema. Non exæquamus vel comparamus *Filiū Patri*, sed *subjectum intelligimus*; ergo, cum *Liberius* in sua ad Orient. ep. dicat: *Hanc (formulam) ego lubenti animo suscepī in nullo contradicens*, etiam his anathematismis erroneis adhaesit.

Conf. In formula Antiochena an. 341. edita sic habetur: *Nos neque sumus Arii sectatores; qui namque fieri potest, ut, cum simus Episcopi, Ario Presbytero auscultemus? neque aliam fidem quam quæ ab initio divulgata sit recipimus: sed cum in fidem ejus studiose inquirere eamque accurate expendere niteremur, Arium potius ad nos revertentem admisisimus, quam ejus opinioni sumus ipsi obsecuti: idque ex his, quæ dicentur facile cognoscetis. Nam nos ab initio didicimus credere in unum Deum etc.* (Labb. t. 2. p. 589); ergo, cum *Liberius* formulæ huic Sirmii subscrisperit, communicasse etiam cum Ario convincitur.

R. N. A. Quæ enim videntur *Arianismum* sapere, *Catholice* dicta sunt, si phrasin priorum temporum et hæresin oppugnatam attendamus. Nempe *Filius* dicitur *Patri obsecutus in creatione omnium et ministrasse ad omnium perfectionem*, quatenus per *Filiū Dei* omnia creata sunt; quod negavit

Photinus, distinguens Verbum a Filio Dei, et illi quidem in sensu Pauli Samosateni existentiam sed a persona Patris indistinctam ab æterno concedens, huic vero eam ante Virginis partum auferens: unde in 27. Anathematismo addita sunt hæc verba in objectione omissa: *Sed ex quo de Maria natus est, ex eo et Christum et Filium nominatum esse et initium accepisse, ut sit Deus, dicat.* Similiter dum *Filius Patri non exæquari nec comparari sed subjectus intelligi* asseritur, contra hæresin tantum *Photini* et *Pauli* negatur *Filius esse à se*, et genitus a *Patre* affirmatur, quod ex contextu Anathem. 17. liquet, qui talis est: *Neque enim descendit in Sodomam sine voluntate Patris; neque pluit ex se, sed a Domino, auctoritate scilicet Patri; neque sedet in dextra a semetipso, sed audit dicentem Patrem, sede ad dexteram meam.* Vid. num. 291. 292. et 293.

Ad Conf. R. N. Cons. Quamvis recitata in antecedente apud *SOCRATEM* et *ATHANASIUM* legantur, non sunt tamen constitutiva formulæ fidei, sed fragmentum actorum Concilii et transitio ad formulam; unde nec ab *Hilario L. de Syn. n. 29.* nec a *THEOPHRONIO* apud *ATHAN. L. de Syn. n. 24.* referuntur. Preterea vel vera supponitur ea *Antiochenorum* Patrum narratio, vel falsa? si 1^{um}; *Arius* resipuit, et *Liberius* cum eo communicare potuit: si 2^{um}; ergo errore facti deceptus quidem est *Liberius*, non nisi tamen post retractionem ejus sibi propositam cum eo communicavit. Quin gratis omnino et absque fundamento dicitur, Ario jam diu e vivis sublato, *Semiarianos*, oblati hoc fragmento, sollicitos fuisse ut illi pax a *Liberio* donaretur.

325. *Observea.* Celebrem inter Eruditos controversiam, nempe an *FELIX* Sedem Romanam, acto in exilium *Liberio*, occupans legitimus fuerit Pontifex, hic quidam injiciunt, ut, affirmato *FELICIS* Pontificatu, probent *Liberium* in hæresin incidisse. Cum enim nec Ecclesia possit esse biceps, nec Papa nisi ob hæresin excidat Pontificatu; si *FELIX* legitimus fuit Pontifex, derogatum ob hæresin fuisse *Liberio* Pontificatum necesse est; quandoquidem uterque nequibat esse Romanus Pontifex, ne Ecclesia evaderet biceps. Objectioni huic satisfaciendi via se duplex offert: *altera*, illa in controversia, partem negantem tenet, et suppositum negat; in quam rem *Alex. Nat. Sec. 4. Diss. 32. Art. 3.* consuli potest; *altera*, conciliando controversiam, vim objectioni detrahit, dum statuit *FELICEM* quidem legitimate electum esse in *Liberii* Vicarium cum successionis jure, interveniente tamen morte, fuisse præpeditum ne juris illius usu gaudere posset.

Atque hæc quidem responsio commodiòr et honoratior videtur. In ea enim verum manet, quod *THEOPRET. L. 2. hist. c. 17. ait: Successum est Liberio a quodam illius Diacono, nomine Felice*: manet auctoritas *OPTATI MILEV. de Schism. Donat. L. 2. n. 3. et AUGUSTINI ep. 163* (al. 54. n. 2) in Pontificum serie *FELICEM* omittentium, scilicet ex eo quod *FELIX* tantum sub *Liberio*, unquam solus et nomine proprio Pontificatum gesserit: nec detrahitur fides Catalogis sequioris ævi et *Martyrologiis* omnibus *FELICEM* inter Pontifices recensentibus, utpote quibus jus successionis et administratio jam data pro Pontificis acceptance suffragatur. Quæ *ATHANASIUS* in ep. ad *Solitar. seu hist. Arian. ad Monach. n. 73.* de *FELICIS* ordinatione per *Arianorum* operam facta commemorat; vel dici possunt ad eum absentem sinistro et mendaci rumore esse perlata; cum *SOCRAT. L. 2. hist. c. 37. scri-*

bat, diversos diversa de his quae eo tempore in Ecclesia evenerant retulisse : vel FELICEM non probant intrusum ; tum quia interventus hæreticorum Episcoporum irritam non faciebat sive electionem sive ordinationem, ut exemplum CYRILLI ad Hierosolymæ sedem assumpti ostendit : tum quia a congregatis Sacerdotibus procurante Liberio in ejus locum Felicem esse ordinatum, testatur. Alia, quæ circa FELICIS ex urbe discessum, mortem et martyrium disputantur, nec nostri instituti, nec hujus loci est componere, cum responsionis datae nec fundamenta sint, nec ulli partium satis explorata.

QUERES III. An Patres Concilii Ariminensis Ariana hæresi fuerint fædati ?

326. Nota I. Cum Constantii consilium de habenda Generali Synodo primum quidem Nicomedia, postea Nicæa, his urbibus terræ motu subversis, fuisset frustratum ; arte Arianorum effectum est, ut, diviso conventu, Orientales Seleuciam in Isauria, Occidentales Ariminum in Æmilia an 359. convocarentur. Qui Seleuciae convenerant, centum et sexaginta ab ATHANASIO L. de Syn. n. 12., SOCR. L. 2. hist. c. 39., et SOZOMEN. L. 4. c. 22. numerantur, a S. HILARIO autem L. cont. Constant. n. 12. dispescuntur in tres classes ; quarum 1^a. Semiarianos quinque supra centum, 2^a. novemdecim Arianos puros, 3^a. reliquos Catholicos plerosque Ægyptios complectitur ; excepto nempe Georgio Alexandrino heretico, et addito S. Hilario, qui quatuor jam annis in Phrygia exul ad eam Synodum vocatus erat. Diversa congregatorum studia irritum fecere Concilium. Cum enim Catholici præter Nicænam formulam nollent aliam, Ariani autem duce Acacio, δύοστοι et δυοστῶι juxta ac ἀνομοῖ rejectis, δύοι tantum oblata formulæ profiterentur, Semiariani tandem, formula Antiochenæ Encœniorum adoptata, δύοιστοι urgebant ; Leonas ad curandam Synodus ab Imperatore missus conventum dimisit.

Arimini, ex ATHANASI L. de Syn. n. 8., SOCRATIS c. 37., SULPITII L. 2. hist. Sac. et SOZOMENI L. 4. c. 17. calculo, (qui alteri Juliani Pelagiani apud AUG. L. 1. oper. imperf. ad 650. augenti, alteri Maximi Ariani ad 330. minuenti præferendus est), confluere Episcopi 400. et amplius. Ex his tum Ariani tum Semiariani octogenarium numerum non superabant ; quos inter præcipui Ursacius, Valens, Auxentius, Demophilus et Germinius : reliqui omnes Orthodoxi, in quibus Restitutus Carthaginensis, Phœbadius Aginnensis, Servatius Tongrensis auctoritate et sanctitate eminebant.

Faustum fuit Synodi initium. Nam ubi Valens et Ursacius Arianorum nomine proposuerant formulam Sirmensem fertiam ex Imperatoris voluntate deinceps tenendam, rejecerunt eam omnes consensu unanimi ; insuper damnata Arii heresi inhaerendum Niceno Concilio statuerunt : cuius regulæ cum Valens et Ursacius cum sociis subscribere recusarent, anathemate condamnabiles proscripterunt, decreta ad extremum Episcoporum decem legatione, qui Imperatorem, de rebus gestis edoctum, rogarent ut conventum solvere et cuilibet ad sedem propriam redire licaret. Sed enim Imperator a prægressis Arianorum præcipuis occupatus, primo quidem Legatis Orthodoxis conspectum suum negare, datis deinde ad Ariminenses litteris, responsum suum et Concilium prorogare ; quos cum hac mora minime moveri adver-

teret, coacta raptim Nicæa in Thracia Synodo, Orthodoxorum Legatos partim Arianorum fraude, partim minis impellere, ut formulæ novæ, quæ, omissis οὐσίᾳ et ὁμοιοστῷ, Filium duntaxat Patri similem ediceret subscripterent, latamque in Ursacium et Valentem sententiam rescinderent : dénum ut ipsos Ariminenses Patres in eamdem prevaricationem raperet, data ad Taurinum Praefectum epistola, mandare ne sinat Concilium dimitti, quousque omnes eidem fidei formulæ subscriperint, reluctant, siquidem plures quam quindecim non essent, exilio mulctet.

Perstiterunt etiam tum Patres illi sua in professione constantes, et hinc Legatos Ariminum regressos repulerunt sua a communione. Verum ubi diutius in hyemem usque detinentur, Arianorum dolis, suasionibus Praefecti, Imperatoris minis ac tædio longioris a suis Ecclesiæ absentiae fracti plures, quin omnes cesserunt, postquam Valens protestatus non esse se Arianum, et Arii heresin execratus, variis anathematismis videri Catholicus studuit. Hac Patrum indulgentia extorta et dimisso Concilio, triumphum cecinerunt Ariani, sparseruntque palam traxisse se in plenaria Synodo omnes adversarios ad profitendum propria subscriptione Filium Dei esse intra ordinem creaturarum, cæteris quidem excellentiorem, sed tamen excellentia creata.

Historia ex laudatis auctoribus hactenus exposita cum abutantur posteriorum seculorum Novatores, et post eos Janseniani, ad Ecclesiæ et Conciliarum auctoritatem elevandam, opera pretium erit tres inde depromptas quæstiones examinare : 1^a. quidem, an formula Ariminensis subscripta, in sese secundum verba seu verborum sensum, sit hæretica ? 2^a. an Patres formulæ, secundum intelligentiam Arianorum offerentium saltem hæreticæ, subscriptientes consenserint hæresi, et facti sint Ariani ? 3^a. an, si supponatur Patres Ariminenses in fide fuisse lapsos, Ecclesia errasse dici possit. Unde

327. Nota II. Formula cui Arimini subscripterunt Patres, tria continet ; SYMBOLUM nempe fidei : CLAUSULAM de omittendis certis vocabulis : ANTHEMATISMOS tandem propositos ; que omnia ex Hilarii Fragmentis VII. n. 4. et IX., Athanasii L. de Syn. n. 8. et S. Hier. in Dial. cont. Lucifer. n. 17. 18. hic juvat subjicere.

SYMBOLUM ita habet : *Credimus in unum et solum verum Deum, Patrem omnipotentem, ex quo omnia. Et in unigenitum Filium Dei, ante omnia secula et ante omne principium ex Deo genitum, per quem omnia facta sunt, visibilia et invisibilia. Genitum autem Unigenitum ex solo Patre, Deum de Deo, similem Patri qui eum genuit, secundum Scripturas : cuius generationem nemo novit, nisi solus Pater qui genuit illum. Hunc novimus unigenitum Dei Filium a Patre missum descendisse de celis, sicut scriptum est, in destructionem peccati et mortis : et genitum ex Spiritu sancto et Maria Virgine, sicut scriptum est, secundum carnem : et cum discipulis versatum esse : et universa dispensatione juxta Patris voluntatem expleta, crucifixum, mortuum et sepultum, descendisse ad inferos : quem infernus ipse exhorruit : resurrexisse a mortuis tertia die, versatum esse cum discipulis diebus integris quadraginta : assumptum ad cælos sedere ad dexteram Patris, venturum in ultimo resurrectionis die cum gloria Patris, ut reddat unicuique juxta opera sua. Et in Spiritum sanctum, quem ipse unigenitus Dei Filius Jesus Christus Deus ac Dominus promisit se missurum generi humano paracletum, sicut*

scriptum est, Spiritum veritatis : quem ipse misit, postquam assumptus est ad cœlos, sed sitque ad dexteram Patris, unde venturus est judicare vivos et mortuos.

CLAUSULA vero haec est : *Nomen autem substantiae, quod simplicius insertum est a Patribus, et a populo non intellectum scandalum pariebat, quoniam in Scripturis non extat, tolli placuit, et de cœtero nullam penitus fieri mentionem substantiae, maxime cum divinae Litteræ Patris et Filii substantiae nusquam meminerint. Neque item in Persona Patris et Filii et Spiritus sancti unam hypostasin nominari debere. Similem vero Patri Filium dicimus, sicut et divinae Scripturae dicunt et docent.*

ANATHEMATISMI a Valente pronuntiati, et ab omnibus confirmati, sunt sequentes : *Si quis negat Christum Dominum Dei Filium ante secula ex Patre genitum, anathema sit. Si quis negat Filium similem Patri secundum Scripturas, anathema sit. Si quis Filium Dei non dixerit aeternum cum Patre, anathema sit. Si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut sunt cœterae creature, anathema sit. Si quis dixerit de nullis extantibus Filium, et non de Deo Patre, anathema sit. Si quis dixerit, erat tempus quando non erat Filius, anathema sit. His subjunxit, reliquis præeuentem sequentibus, Claudius Provinciae Piceni Episcopus : Si quis dixerit Filium Dei esse quidem ante omnia secula, sed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat ; anathema sit.*

328. Dico I. Formula Ariminensis in sensu naturali et proprio verborum nihil continet hæreses, sed est catholica. Prob. Tria sunt ex dictis, que sub formulae Ariminensis nomine intelligi possunt, expositiō nempe fidei, clausula, et anathematismi : sed in nullo ex his inest aliquid hæretici, in priore autem et postremo habetur dogma Catholicum ; ergo.

Prob. min. p. 1^a. Nulla vox est in SYMBOLO, quæ divinitati Filii repugnet ; ut non tantum ex silentio adversariorum, sed et ex accurate singulorum consideratione liquet : plures e contrario eamdem confirmant ; ut ostenditur, Jesus Christus enim *unigenitus* dicitur *Filius Dei*, ad excludendam filiationem adoptivam justis convenientem : *genitus ex solo Patre* ad distinctionem a creatura, quæ *facta* dicitur : *ante omnia secula et ante omne principium genitus*, ad exprimendam juxta Evangelii Joannis initium aeternitatem : *Deus de Deo, et absolute Dominus et Deus*, ad exprimendam fidem perfectam, ut Hieron. l. c. scribit.

Conf. Ex testimonio Patrum, qui hanc formulam in sensu obvio Catholicam enuntiant. De hac LIBERIUS in ep. ad Ital. Episcopos loquens ait (Labb. t. 2. p. 754, E) : *Auctores vero esse damnandos, qui obliqua et maligna subtilitate et caligine offenderunt innocentium sensus, per quæ velamen obducerent veritati ; tenebras lucem et lucem tenebras venditantes* : Episcopi autem Italiae apud HILARIUM in Fragm. XII. n. 2. ita ad Illyricos scribunt : *Ariminensis Concilii statuta, quorundam tergiversatione corrupta, consensu omnium Provinciarum, jure rescindimus. SULPICIUS SEVERUS L. 2. hist. Sac. sic loquitur : Eisdem conscriptam ab improbis fidem tradit, verbis fallentibus involutam, quæ Catholicam disciplinam perfidia latente loqueretur. HIERONYMUS demum loco cit. recitatæ formulæ varia in hunc modum inserit* : *Hoc etiam nos confitemur... Cum superficies expositionis nihil jam sacrilegum preferret...*

Sonabant verba pietatem... Inter tanta illa præconia, nemo venenum insertum putabat... Perfecta fides est, Deum de Deo credere etc.

Prob. p. 2^a. Expressa vocabuli ὄμοιός professio necessaria non fuit ad fidei veritatem, seu ut quis vere Catholicus esset ; nec ad fidei distinctionem, seu ut quis ab Arianis secerneretur ; nec ad fidei evidentiam, seu ut quis Catholicus agnosceretur. 1^{um}. patet tum ex rarissimo illius vocabuli usu ante Conc. Nicænum, tum ex ejusdem damnatione in Cone. Antiocheno contra Paulum Samosatenum prolatâ, ut ATHANASIUS et HILARIUS LL. de Syn. referunt. 2^{um}. liquet tum ex fidei professionibus hoc vocabulo parentibus, quas vel Ariani vel de hæresi Ariana suspecti Valens et Ursacius apud ATHAN. in Apol. cont. Arian. n. 58. Marcellus Ancyranus apud EPIPHAN. hær. 72., Germinius apud HILAR. in Fragm. XV. Meletius Antiochenus apud EPIPH. hær. 73. ediderunt ad se purgandos et ab Arianis secernendos ; tum ex Patrum dictis et factis : ATHANASIUS enim L. de Syn. n. 41. ita ait : *Viros autem, qui alia quidem omnia Nicæna scripta recipiunt, de solo autem Consumentialis vocabulo ambigunt, non ut inimicos spectari par est : AMBROSIUS autem, prout in gestis Concilii Aquileiensis habetur (Labb. t. 2. p. 979. seqq.), quantumvis Palladium et Secundianum Arianos plurimis versaret quæstionibus, ut sinceram ex iis fidei professionem eliceret, illos ad hoc vocabulum profitendum nec verbulo ursit. 3^{um}. ostenditur. Ubi enim res ipsa tenetur ac creditur, abstinendi autem a certis vocabulis ratio probabilis habetur, saltem non erratur in fide, nec Orthodoxy abstinenti hujusmodi neganda est : sed imprimitis res ipsa tenebatur, ut constat ex prioribus ; et ex sequentibus uberioris patet : deinde etiam, teste Hieronymo, de usiæ nomine abiciendo verisimilis ratio præbebatur, eaque triplex in ipsa clausula exprimitur ; ergo.*

Prob. p. 3^a. Quin omnes ANATHEMATISMI sint omnino Catholicæ et ex diametro hæresi Arianae oppositi, dubitari nequit, nisi de unico, quo negatur *Filius Dei esse creatura, ut sunt cœterae creature* : sed etiam iste est Catholicus ; quia vere ac recte hoc negatur : est quoque hæresi Arianae oppositus ; quia Arius contendebat filium Dei pro more reliquarum creaturarum esse creaturam ; ergo.

Conf. Quamvis ille ANATHEMATISMUS solitarie spectatus possit esse ambiguous, et quatenus præcise similitudinem tantum cum creaturis negat, defectuosus ; tamen prout est conjunctus cum aliis anathematismis, in naturali sensu non potest accipi tanquam asserens *Filium Dei esse creaturam*, licet excellentiore cœteris rebus creatis ; quia alia predicata in conjunctis anathematismis *Filio Dei attributa*, nempe esse *genitum ante secula et omne omnino tempus, aeternum cum Patre, similem Patri secundum Scripturas, esse de Deo et non de nullis extantibus*, pro illius ætatis usurpatione cum ratione creaturæ conciliari nequaquam poterant.

329. Dico II. Patres formulæ Ariminensi, quantumvis sinistra offerentium intelligentia corruptæ, subscriventes non errarunt in fide, nec professi sunt Arianismum. Probatur. Qui formulæ de se Catholicæ subscrifit, et tum ante tum post subscriptionem declarat illa a se in sensu Catholicæ subscribi, hac sua subscriptione non incurrit errorem in fide, nec profitetur hæresin ; quantumvis eam formulam offerentes sinistri aliquid subintelligant : sed Patres Ariminenses, ut ex num. pr. liquet, formulæ per se Catholicæ subscrip-

runt; præterea vero tum ante tum post subscriptionem declararunt illi a se in sensu Catholicus subscribi; ergo.

Prob. min. p. 1^a. Qui formulæ ex se Catholicæ non ante subscrivunt, quam auctor illius se Catholicum, tum protestatione privata et publica, tum damnatis erroreis ac suspectis propositionibus, probaverit vel simulaverit, et ipsi etiam tum errores oppositos, tum sensus malignos proscripterint, satis declarant a se non subscribi formulæ, nisi in sensu Catholicus: sed hoc, ex narratione S. HIERONYMI L. cont. Lucifer. n. 17. et 18. vera ac sincera, patet; ergo.

Conf. ANATHEMATISMI, quibus tum negantes Christum esse æternum cum Patre, natum ante omnia secula et omne omnino tempus, genitumque de Deo Patre, tum affirmantes Christum esse creaturam et de non extantibus, ac fuisse tempus quando non erat Filius, rejiciuntur, æquivalent apertæ professioni vocabuli ὁμοούσιος, ut patet e pluribus Athanasii scriptis, L. de Syn. Nic. Decretis, in epist. ad African., L. de sentent. Dionysii, epist. Encycl. cont. Arian. et in ep. Synodica Conc. Alexandrini. Unde formatur hoc argumentum: Qui ipsam rem seu dogma, et *verbis æquivalentibus* vocem ὁμοούσιος ante subscriptionem formulæ ex se Catholicæ et sola ὁμοούσιον voce carentis profitetur, abunde declarat huic formulæ in sensu Catholicus a se subscribi: hoc præstiterunt Patres Ariminenses, ut ex HIERONYMI relatione et asserto proximo manifestum est; ergo.

Prob. p. 2^a. Qui, ut primum subscriptionem suam sinistro sensu accipi jactarique audiunt, continuo reclamant, actaque rescindunt, contestati nihil perversi a se cogitatum aut intellectum, illi Catholicus sensu formulæ alias Catholicæ subscripsisse censendi sunt: ita vero rem evenisse Patribus Ariminensis et HIERONYMUS ac LIBERIUS narrant, et ipsi Patres in Synodis postea congregati protestantur: Hieronymus quidem L. cont. Lucif. n. 19. ita subdit: *Concurrebant Episcopi,.... contestants corpus Domini, et quid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in fide sua suspicatos. Putavimus, aiebant, sensum congruere verbis: nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse aliud labiis proferri timimus..... Non sumus arbitrii Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatis studio prætero, flentes asserebant; parati et subscriptionem pristinam et omnes Arianorum blasphemias condemnare.* Item testatur Liberius in ep. ad Orientales (Labb. t. 2. p. 758), Episcopi Italæ ad Episc. Illyr. (Hilar. fragm. XII), et Episcopi Gallicani in ep. Concilii Parisiensis synodica (Labb. t. 2. p. 822).

Conf. Qui post subscriptionem formulæ Catholicæ fraude ac dolo Ariorum eam offerentium deceptos se profitentur, vel decepti ab aliis narrantur, non Ariano sed Catholicus sensu subscripsisse censendi sunt: hoc vero, ne quid ex DAMASI ad Illyricos epistola proferam, constat ex iisdem documentis: HIERONYMUS, ubi nuper quædam omisimus, primo loco habet: *qui Ariminensis dolis irretiti sine conscientia hæretici ferebantur;* secundo loco: *Decepit nos bona de malis existimatio:* paulo autem post ita pergit: *In Alexandrina postea Synodo constitutum est, ut exceptis auctoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, penitentes Ecclesiae sociarentur, non quod Episcopi possent esse, qui hæretici fuerant; sed quod constaret eos, qui reciperentur, hæreticos non fuisse.* LIBERIUS premittit: *Nihil tamen eorum (Ariorum) calliditas profuit;* subjungit autem: *Significamus, ut noveritis*

blasphemos Ariminenses, qui tunc videbantur per subreptionem maculati, universos ad Nicenam respirasse fidem. Similiter præmisserant Episcopi ITALIÆ. Et quantum ad Italiam quidem pertinet, cum fidei paternæ, hoc est, apud Nicenam scriptæ se reddidit, fraudem, quam passa est apud Ariminum, recognoscens, etc. Item PATRES GALICANI: Itaque cum ex litteris vestris in Usiæ silentio fraudem se passam simplicitas nostra cognoscat etc.; ergo.

330. *Nec dicas 1^o. Ex coœvis et supparibus Scriptoribus constat formulam Ariminensem quoad omnes partes hæretica labé esse fœdatam. Nam 1^o. HIER. L. cont. Lucif. n. 17. de Symbolo dicit: *Nomine unitatis et fidei infidelitas scripta est;* et LIBERIUS in ep. ad Epp. Orient. (Labb. p. 758. B.) illud nominat *Decreta Ariminii contra fidem Nicenæ stabilitam sancita.* Præterea 2^o. dum HIER. l. c. scribit: *Tunc Usiæ nomen abolitum est; tunc Nicenæ fidei damnatio conclamata est,* de clausula loqui facile intelligitur. 3^o. Respectu anathematis quarti, AMBR. ep. 21. ad Valentian. n. 13. 14. Christum ab Ariminensibus dictum esse creaturam enuntiat; SULPIT. SEVERUS autem L. 2. hist. Sac. ita scribit: *Etenim his verbis, quibus similis esse creaturis Filius negabatur, creatura tamen, potior tantum cæteris, pronuntiabatur;* ergo.*

R. D. Constat formulam hæretica labé esse fœdatam, si spectatur secundum sensum naturalem et prout intellectum a Patribus N. si attendatur ad consilium auctorum et datam ab illis postea interpretationem C. de priori sensu locuti sunt scriptores, quos num. 328. attulimus; de posteriori sunt accipiendo, qui hic in contrarium proferuntur; codem fere modo quo Patres circa Concilium Diosopolitanum, nempe HIERONYMUS ep. 81. (al. 143. n. 2.) illud damnans, AUGUSTINUS vero L. de gest. Pelag. c. 1. illud laudans, conciliantur. Patet hoc ipsum apertius ex singulis objectis.

Quod enim *primum* attinet, HIERONYMUS recitatius verbis subjungit: *ut nunc agnoscitur, respiciens ad Arianorum sensum et consilium, dimissa Synodo, manifestatum: idem respexit LIBERIUS; vel formulam Ariminensem fidei Nicenæ contrariam declaravit, quatenus defectuosum et mancum, reticentia scilicet ὁμοούσιον, perfecto et hanc vocem profidenti contrariatur.* In *secundo* ex hoc ipso quod clausula indigitata dicatur, *nomen Usiæ abolitum est, non negatione, sed omissione duntaxat et reticentia: damnatio autem Nicenæ fidei est conclamata,* non a Patribus Catholicis, sed ab Arianis; de quibus HIER. sœpe laudatus: *Cœperunt postea Valens et Ursacius, cæterique nequitiae eorum socii, egregii scilicet Sacerdotes, palmas suas jactare, dicentes, se Filium creaturam non negasse, sed similem cæteris creaturis.* In *tertio* AMBROSIUM et SULPITIUM de specie ab Arianis jactata, non autem de veritate rei esse locutos, ex recitatius HIERONYMI verbis appetit; præsumt quia Patres anathematis propositionem non ipsi conceperant, et velut Arii hæresin a Valente abjurata ipsi etiam excrababantur.

331. *Nec dicas 2^o. Ex similibus documentis liquet, Patres Ariminenses defecisse in fide et factos esse Arianos.* LIBERIUS enim l. c. ait: *A fide tunc quidem desciverant;* AUGUSTIN. ep. 50. (al. 185. n. 47.). Patres veneno Ariano periisse, et FACUND. HERMAN. L. 3. c. 3. in Arianum dogma subactos scripserunt. *Conf.* Ecclesia in Concilio Parisiensi an. 360, Alexandrino an. 362.